

remanebunt diversæ, ut fert natura humana, animorum dispositiones, una quidem promptior in unitatem omnimodam procurandam, altera verò in usibus localibus defendendis tenacior; nec jam certè alio sensu supererunt illæ olim adeò jactatæ *Ultramontanorum* et *Gallicanorum* denominationes, quæ nempe diversas non jam exprimere habent doctrinas sed tantummodò *tendentias*, ut ita dicam, practicas. De quibus porrò duo solummodò hic observari volumus, scilicet :

1° In veritate, ante omnia, utrinque standum est; atque, insuper, in id etiam quod reverà melius est, nonnisi prudenter ponderatèque grassandum. — « Non eget Petrus » mendacio nostro, nostrà adulatione non eget » (1).

Sismondi cit. ap. Rohrbacher, LXXVII circa med., vel ap. Gosselin : *Pou du Pape...* p. 373). Imò et ipsi Gallicani distinguere cœperunt inter libertates ab ecclesiasticis viris admissas et libertates à magistratibus vindicatas (Bossuet : *Lettre 91 au card. d'Estrées*, et *Or. fun. de Le Tellier*). Priores Fleury dinumerabat 13, quæ præcipuè spectabant — ad repellendum tribunal Inquisitionis (non quidem, ut multi hodie sibi fingunt, *tolerantiæ* causâ, sed ne potestati episcoporum ipsiusque regis per hoc detraheretur); — ad subjiciendum examini Bullas pontificias; — ad limitandum jus dispensationis, evocationis, etc.; — ad quæstiones beneficiales componendas, etc., etc. (*Opuscula* suprâ cit. : *Disc. sur les lib. de l'Egl. gallic.*, n. 25). — Posteriores verò Petrus Pithou collegerat ad numerum 83, quas V. rejectas à Bossuet : *Def. declarat.*, l. XI, c. xx; et cfr gravem censuram episcoporum Galliæ in *Probationes earundem libertatum* à FF. Dupuy (ap. Migne, t. V, p. 1169; vel ap. Rohrbacher : *Hist. de l'Egl.*, l. LXXVII, § V, versùs init.). Hanc tamen antiquatam suppellectilem renovare sategerat D. Dupin in suo *Manuel du droit public ecclésiastique français* (1844), quem V. damnatum confutatumque à Card. de Bonald : *Mandement du 21 nov. 1844*, reprod. ap. *l'Univers*, 12 févr. 1845. Item inde videre est eundem Dupin facetè exagitatum in libellis : *Oui et non; — Feu! Feu!....*, à D. de Cormenin, qui appositè prorsùs ita concludebat :

« Aujourd'hui, l'ultramontanisme est un retour au catholicisme. Aujourd'hui le gallicanisme est du schisme en herbe. » (*Feu! Feu!* p. 33).

(1) Melchior Canus : *De locis theol.*, l. V, c. v, versùs finem; ap. Migne, *Theol.*, t. I, p. 392.

2° Hoc autem posito, agnoscendum est *ultramontanum*, ut aiunt, animum, qui nempe in conformitatem cum Ecclesiâ romanâ quàm maximam in omnibus tendit, etiamsi possit et ipse impingere in quosdam excessus, nunquam tamen in graviter periculosos; dum *gallicanus* animus in contrarium obversus, semper ante se habet schismatis et hæreseos periculum, iis præsertim temporibus in quibus tum scientia theologica, tum ipsa fides christiana non apud multos satis clara firmaque reperitur (1).

Quæ sanè semper ante oculos in dubiis practicis habenda ac meditanda juvenibus præsertim suademus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EPISCOPIS.

§ I : *De divinâ Episcoporum institutione ac superioritate supra Presbyteros etiam Curatos.* — 48 — Prop. : Præter S. Pontificem, existunt, è jure divino, in Ecclesiâ Pastores, qui cum illo ac sub illo doceant ac regant fideles; — et hi Pastores sunt ii soli qui vocantur hodie Episcopi. — 1^a Pars ex Evangelio monstratur; — 49-51 — 2^{da} Pars historicè exponitur, scil. : I Pastorum institutio evolvitur, et Episcoporum ac simplicium Presbyterorum distinctio inducitur; — II Introducuntur etiam pastores 2^{di} ordinis seu Parochi; — III Nunquam tamen presbyteri etiam Parochi facti sunt auctoritatis doctrinalis vel legislativæ in Ecclesiâ plenè participes.

§ II : *De indefectibili Episcoporum unione cum Papâ.* — **32 — Prop. : Quovis tempore, major numerus Episcoporum tunc in Ecclesiâ existentium perstabit in docendâ infallibiliter verâ doctrinâ Christi, unâ cum Papâ et dependenter à Papâ. — **33 — Observationes.

§ III : *De conciliis.* — 54 — Quid sit concilium in genere? Quid speciatim Concilium generale seu œcumenicum? — Conciliorum ratio. — 55 — Conciliorum generalium auctoritas et condiciones. — **56 — Observatio circa veterem de Papæ vel Concilii superioritate quæstionem.

Manifestum est, vel ex ipsâ ratione, quòd Papæ, supremo Ecclesiæ Pastori, quem à Christo institutum suprâ

(1) Hinc, sub initio hujusæ sæculi, DD. Frayssinous, licet ipse Gallicanorum partibus addictus, laicis quibusdam juvenibus ita consilium dabat :

probavimus, alii adjungi debuerunt Pastores qui cum illo et sub illo fideles per varias regiones sparsos docerent ac regerent. Tales porrò, in personâ Apostolorum atque exinde *Episcoporum*, à Christo etiam esse institutos, et certis quibusdam muneribus ac privilegiis manere donatos suprâ inferiores quos sibi constituere potuerunt cooperatores, nunc suscipimus probandum. — Dehinc autem videndum erit quomodò maneant *uniti cum Papâ*, — itemque quomodò convenire possint in *concilia*, sive inter se ex aliquâ Ecclesiâ parte, sive etiam ex universâ Ecclesiâ cum S. Pontifice, ad efficacius providendum Ecclesiâ necessitatibus. — Triplex igitur erit paragraphus :

I^{us} De divinâ Episcoporum institutione ac superioritate suprâ presbyteros etiam *Parochos* ;

II^{us} De indefectibili Episcoporum unione cum Papâ ;

III^{us} De conciliis.

§ I. — *De divinâ Episcoporum institutione ac superioritate suprâ presbyteros etiam Parochos.*

48. — Propositio : — *Præter Summum Pontificem, existunt in Ecclesiâ, è jure divino, Pastores qui cum illo et sub illo doceant ac regant Fideles ; — et hi Pastores sunt ii soli qui vocantur hodie Episcopi.*

Prima pars hujusce Propositionis ex Evangelio nunc simpliciter monstranda est ; postea autem ex Traditione etiam confirmata invenietur, dum 2^{am} historicè exponeamus. — Igitur

I. Divina Pastorum institutio in personâ Apostolorum ex

« Messieurs, vous n'êtes pas, vous ne pouvez pas être théologiens ; je n'ai » donc qu'un seul conseil à vous donner : Soyez ultramontains, je le pré- » fère. Vous conserverez plus aisément ainsi la vraie foie. Si vous vouliez » être gallicans, je craindrais que vous ne fussiez bientôt entraînés dans » l'erreur. » (Cit., ex D^{ro} Perdrau, à R. D. Guéranger : *De la monarchie pontificale*, p. 234.)

Evangelio monstratur. — Illa enim institutio à Christo successivè *præparatur, promittitur, perficitur.* Et quidem

1^o *præparatur*, quando nempe Christus, ut suprâ dictum est (n. 22, p. 50), futuros suos Apostolos primùm, prout occurrunt, ad *sequendum se* invitat (Joan., I ; Matth., IV ; Marc., I ; Luc., V) ; ac dein eos ex ordine post Petrum et cum Petro *vocat ad se* (Marc., III ; Luc., VI), et mittit prædicare *ad oves quæ perierunt domûs Israel* (Matth., X).

2^o *Promittitur*, quando factæ jam Petro promissiones ad omnes etiam Apostolos, ex parte saltem, repetuntur ; — promissio nempe *auctoritatis* : « *Amen dico vobis : quæcumque alligaveritis, etc...* » (Matth., XVIII) ; — item et promissio *assistentiæ* : « *Et Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit, etc...* » (Joan., XIV).

Et hæc quidem ante Passionem. Post Resurrectionem verò,

3^o *perficitur*, simulque *completur ac confirmatur* institutio antea præparata atque promissa. *Perficitur* nempe quandoquidem Apostoli declarantur *mitti* generaliter in opus Christi : « *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos ;* » atque simul *completur*, addito nimirum, per speciale quoddam Spiritûs Sancti donum, jure remittendi peccata : « *Accipe Spiritum Sanctum : Quorum remiseritis peccata, etc.* » — *Confirmatur* tandem quando, repetitâ explicitè missione : « *Euntes docete..., baptizantes..., docentes eos* » *servare omnia... etc.* », assistentiâ ad executionem hujus missionis indefectibilem spondetur : « *Et ecce Ego vobiscum... etc.* » (Matth., XXVIII).

Ergo illa institutio, jam ante Passionem præparata atque promissa, post Resurrectionem perfecta, completa ac confirmata est ; — et certè ut *in perpetuum* duret ; quod satis patet tum è scopo institutionis, tum ex illis expressis verbis : ... *usque ad consummationem sæculi.*

Observant præterea Theologi hos eosdem Apostolos, — quos ita *pastorali auctoritate* ad Ecclesiam docendam et regendam, unà cum Petro, donari videmus, — *sacerdotali* etiam *potestate* et quidem *plenâ* instructos fuisse ad divina conficienda mysteria et sacramenta pro Ecclesiæ ac Fidelium sanctificatione (V. suprâ, n. 9, p. 15, *not.*). De hæc autem potestate, V. Theologos in *Tr. de Ordine* (1).

49. — **Secunda pars** Propositionis nunc *historicè* exponenda est, explicando nempe — I — quomodò Apostoli, ad continuandam suam missionem, Pastores instituerunt, et quomodò ab *Episcopis* distincti sunt simplices *Presbyteri*; — II — quomodò, labentibus sæculis, quidam ex iis Presbyteris acceperunt curam ordinariam certarum diœcesis episcopalis portionum seu *parœciarum*; unde dici cœperunt *Curati* seu *Parochi*; — III — neque tamen unquam sive Presbyteri sive etiam Parochi facti sunt *auctoritatis doctrinalis ac legislativæ* in Ecclesiâ *plenè* *participes*. — Igitur

I. — *Pastorum institutio evolvitur, et Episcoporum ac simplicium Presbyterorum distinctio inducitur.* — Apostoli atque, ipsorum jussu, eorum cooperatores *constituebant per singulas ecclesias Pastores* (2) : V. Act., XIV, 22; Tit., I,

(1) Non omninò convenit inter theologos utrùm potestas illa sacerdotalis Apostolis *tota simul* collata fuerit, in ultimâ Cœnâ, quando nempe Christus, peractâ Corporis sui consecratione (quod est maximum potestatis sacerdotalis exercitium), dixit eis : *Hoc facite in meam commemorationem*, — an verò gradatim, ita ut ultima illius plenitudo (quæ potissimum in potestate transmittendi sacerdotium per Ordinationem consistit) nonnisi post Resurrectionem in aliquâ à Christi apparitionibus, putâ cum definitivâ ante Ascensionem missione, Apostolis fuerit data. (V. La Luzerne : *Dissertations sur les droits et les devoirs respectifs des évêques et des prêtres*, p. 24).

(2) Imò forsân aliquando plures in eadem ecclesiâ; nam V. Philipp., I, 4; Act., XX, 17 (V. Petavium loco mox indic.).

5; Tim. passim. Hi porrò Pastores primùm indifferenter, ut videtur, dici solebant *πρεσβυτεροι* (*presbyteri, seniores*) propter ætatem seu potius propter dignitatem ad instar ætatis venerandam, vel *επισκοποι* (*episcopi*), utpote *super* alios *intendentes* (*επισκοπεω*) (1). — Et quidem utrùm aliqua inter eos sive quoad Ordinem sive quoad jurisdictionem inæqualitas primitus fuerit, non convenit inter auctores (2); at certè mox inducta est. Ad præcavendas quippe

(1) Nomen *πρεσβυτεροι* videtur à Judæis venire, apud quos nempe ita dicebantur reipublicæ consultores (Num., XI, 16 et passim tum in Vet. tum in Nov. Test.), quemadmodum et Athenis et Romæ, *γεροντες, γερονσια, senatores, senatus*. — Item nomen *επισκοποι* mutuatum videtur à Græcis apud quos ita dicebantur quidam in Atticâ magistratus (V. Henr. Stephan., *σχεπτουαι*, et cfr Ciceron. *ad Atticum*, l. VII Epist. 11). — Utrumque autem nomen apostolicis temporibus indifferenter adhibitum fuisse satis communiter admittitur è pluribus textibus, v. g., Act., xx, 17: « Vocavit *majoris natu* (τους πρεσβυτερους) Ecclesiæ, et dixit eis :... Attendite » vobis et universo gregi in quos vos Spiritus Sanctus posuit *episcopos* *re-gere* Ecclesiam Dei.... » — Tit., loc. cit. : « Reliqui te Cretæ ut... » constituas per civitates *presbyteros*, sicut et ego disposui tibi : si quis » sine crimine est... ; oportet enim *episcopum* sine crimine esse... » — Probabiliter etiam hoc sensu et ipsi Apostoli sese dicunt *seniores* (*πρεσβυτερους*) V. II et III Joann., I : *ὁ πρεσβυτερος*..., — et I Petr., V, 1 : *πρεσβυτερος* τους εν υμιν παρακαλω ὁ συμπρεσβυτερος. Cfr et S. Clem. rom. : *1^a Epist. ad Corinth.*, c. 44; et S. Iren. : *Adv. Hæres.*, l. IV, c. xxvi, n. 2, suprâ cit. p. 62.

(2) Alii nempe censent illos tum plenitudine sacerdotii tum jurisdictione episcopali fuisse ab Apostolis donatos, ita ut tunc in Ecclesiâ non essent nisi Episcopi cum Diaconis. Ita Petavius *Dissert. eccles.* l. I c. 11; Thomas-sin. : *Anc. et nou. discipline*, t. I, c. 1; Perrone : *De Ordine*, n^o 104, vel ap. Migne, *Theol.*, t. XXV, p. 43; etc., qui S. Hieronymum in suum sensum vindicant. — Alii, è contrâ, qui S. Hieronymum etiam pro se allegant, contendunt sacerdotes tantùm secundi ordinis fuisse generatim ecclesiis primitus præpositos ut eas communi regerent consilio; et postea tantùm illum qui, simultatis pacandæ causâ, jurisdictione superiori indutus est, ad superiorem etiam Ordinem fuisse evectum, — interpositâ profectò Ordinatione (ut meritò tuetur Corgne : *Défense des droits des Evêques*, T. I p. 320, contra singularem et gravissimum errorem P. Morin). — Alii demùm existimant sacerdotes alterutrius Ordinis, pro locorum opportunitate,

simultates et eradicanda schismatum semina (1), unus in unâquaque Ecclesiâ vel regione plenitudine sacerdotii et jurisdictione superiori insignitus est, et solus dici cœpit *Presbyter episcopus* vel potiùs simpliciter *Episcopus*, utpote *super alios intendens*. Cæteri verò huic jam subordinati extunc appellati sunt simpliciter *presbyteri*, et non susceperunt nisi sacerdotium *secundi ordinis* (quod nempe sacrorum plerorumque potestatem complectitur, exceptâ potestate novos generandi sacerdotes per Ordinationem, item et perficiendi, ex jure ordinario, Christianos per Confirmationem). Hunc enim etiam Sacerdotii gradum inferiorem Apostoli, è dispositione Christi (2), conferre poterant, — non secùs ac Diaconatum, — ubi opportunum judicarent. Atque ille inde sæpe dictus est *presbyteratus* id est, *sacerdotium presbyterorum*, dum prior gradus pau-

ab initio institutos fuisse distinctè. Ita S. Epiphanius (*Hæres. LXXV; adv. Aerium*, n. 4 et 5), qui nomen *presbyteri* utrisque commune fuisse censet, nomen verò *episcopi* ordini superiori reservatum. Ita et Theodoretus (*In I Tim. III, 1; Philipp. I, 1*), qui utrumque nomen inferiori ordini indistinctè concessum, ordini autem superiori nomen *apostoli* primitùs elargitum esse reputat (V. ap. La Luzerne, op. cit., p. 43). — Cfr et in has quæstiones Duguet : *Conférences ecclés.*, t. I, 3^e dissert.; V. speciatim p. 46, 47.

(1) S. Hieronymus : *Comment. in Tit.*, I, 5; itemque *Epist. 146, ad Evangelium* n. 1.

(2) Certè enim Concilium Trident. definiit « in Ecclesiâ catholicâ esse » hierarchiam *divinè ordinatione institutam*, quæ constat ex Episcopis, » Presbyteris et ministris. » (*Sess. XXIII, can. 6*). Et Witasse quædam apud antiquos Patres notat vestigia traditionis circa divinam illam institutionem (*Tr. de Ordine*, P. 2^{da}, q. III, a. 1). Quæ quidem fieri potuit sive expressè à Christo, putâ, Resurrectionem inter et Ascensionem, sive etiam forsan post Ascensionem, per illas nimirum Spiritûs Sancti inspirationes ad Apostolos promissas tanquam documentorum Christi completivas (Joan. XVI, 12, 13), ita ut solemne sit Theologis Revelationem Christianam non habere conclusam nisi per mortem ultimi Apostolorum (V. Emin. Franzelin : *De div. Traditione*, Th. V et XXII; et cfr Duguet, op. cit., p. 78, 79).

latim dici etiam cœpit *episcopatus* seu *sacerdotium episcoporum* (1).

Per illam igitur presbyteratûs ab Episcopatu separationem atque per institutionem Diaconatûs jam antea factam constitutio ecclesiarum perfecta est, ut videtur, ante mortem Apostolorum (2). Certè colligere est è S. Joanne ad præcipuas Asiæ ecclesias scribente (Apoc., II, III), jam unum unicuique earum præesse Episcopum, quem nominat illius *angelum*. Idem etiam colligere est è traditione variarum ecclesiarum quæ de Episcopo in Episcopum usque ad Apostolos ascendunt. His verò Episcopis singulis opus profectò fuit, in magnis saltem ecclesiis, ut præter *Diaconos* ad exteriora ministeria primùm datos, etiam *Presbyteri* ad sacra munia adessent. — Et ita reverà plurimi Patres ostendunt :

Sic, ex gr., **S. Clemens Rom.** (1^a *Epist. ad Corinth.*, c. XI) distinguit in unâquaque ecclesiâ *Summum Sacerdotem...., sacerdotes...., et levitas....* — Item **S. Ignatius** martyr undique in *Epistolis* suis distinguit unum *Episcopum præsentem loco Dei, Presbyteros loco senatûs apostolici, et Diaconos* (*Epist. ad Magnesios*, c. VI; cfr et omnes alias *Epist.*). Ubique autem Episcopi, *etiamsi junioris ætatis* (*ad Magnes.*, c. III), supereminentem commendat potestatem. Eum singuli honorare debent, *præcipuè autem Presbyteri* (*ad Trall.* c. XII), qui nempe *ei coaptari debent ut chordæ citharæ* (*ad Ephes.*, c. IV). « Separatim ab Episcopo nemo quidquam » eorum faciat quæ ad ecclesiam spectant. Rata (ἑβραϊα) illa habeatur » Eucharistia quæ sub Episcopo peragitur vel sub eo cui ipse conces-

(1) Imò non rarò in primis sæculis, istud dictum est simpliciter *Sacerdotium*, per oppositionem ad Presbyteratum. Sic Pontius de S. Cypriano dicit quòd « presbyterium et sacerdotium simul accepit » (Ap. D. Maran : *Vita S. Cypriani*, c. IV). Et Episcopi et SS. Pontifices sæpe simpliciter et quasi per honorem dicuntur *Sacerdotes*. Sæpe etiam omne munus episcopale tam quoad jurisdictionem quàm quoad Ordinem sub nomine *Sacerdotii* comprehenditur : ita speciatim in libro S. J. Chrysostomi : *De Sacerdotio*.

(2) Petavius : *Dissert. ecclés.*, loco cit.

» serit (Cfr et *ad Philadelph.*, c. iv). Ubi comparuerit Episcopus, » ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi » catholica est Ecclesia. Non licet sine Episcopo neque baptizare, » neque agapen celebrare; sed quodcumque ille probaverit, hoc et » Deo est beneplacitum, ut tutum ratumque sit omne quod peragi- » tur.... Qui honorat Episcopum, à Deo honoratus est; qui clam » Episcopo aliquid agit, diabolo servit. » (*Ad Smyrn.*, c. viii, ix). (1) — Cfr et **Hermæ Pastorem**, l. I, *Vis.* III^a c. v; l. III, *Similit.* IX^a c. xxvii; — et **Clementis Alex.** *Pædagogum* l. III, c. xii, et *Stromata*, l. VI, c. xiii (2). — Item et **Tertullianus**: *De fugâ*, c. xi; *De Baptismo*, c. xvii. — Etc.

Jam igitur verè, ut ait **S. Cyprianus**, « Ecclesia super Episcopos » constituitur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos guber- » natur... Hoc divinâ lege fundatum est » (*Epist.* 27, *ad Lapsos*, n. 1). Est enim « ecclesia plebs sacerdoti adunata, et pastori suo » grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in ecclesiâ esse, et » ecclesiam in Episcopo, et, si quis cum Episcopo non sit, in ecclesiâ » non esse » (*Epist.* 69, *ad Pupianum*, n. 8). — Etenim, ut dicit **S. Hieronymus**: « Apud nos Apostolorum locum tenent Epis- » copi... Omnes Apostolorum successores sunt. » (*Epp.* 41 *ad Marcellam*, 146 *ad Evangelium* (3). — Itemque cæteri Patres.

(1) Cfr in S. Clementem et in S. Ignatium, DD. Freppel: *Les Pères Apostol.* pp. 131 et 375.—Cæterum non sine lepore est videre in his D. de Pressensé, utpote omnis hierarchiæ osorem, quàm agrè talia ferat testimonia, quàm dolenter notet, in his venerandis Patribus, Apostolorum discipulis ac successoribus immediatis, «... leur faiblesse intellectuelle..., in- » capable de saisir l'enseignement des Maîtres... Clément n'est pas un » esprit puissant... Ignace manque de mesure dans le langage..., etc. » (*Hist. des premiers siècles de l'Egl. chrét.*, t. II; cit. à D. de Broglie, ap. *le Correspondant*, sept. 1859, p. 27). — Similiter et D. de Gasparin, cujus V. citat. ap. *Revue des Quest. histor.*, avril 1876, p. 711.

(2) Cfr in Hermam et in Clementem Alex. observationes P. Le Nourry, ap. *Migne Patr. lat.* T. II, p. 854; T. IX, pp. 877 et 1163.

(3) Ex hoc et multis aliis locis videre est quàm perperam S. Hieronymus nonnunquam in Episcopatus detractorem traductus sit. Qui quidem, ad retundendam superbiam diaconorum Ecclesiæ romanæ, qui—utpote magnorum honorum administratores—sese supra presbyteros extollere videbantur, ipsis primùm opponit « auctoritatem Orbis » qui, in hoc, « major est Urbe »; ac deinde ostendere nititur differentiam inter presbyterum et episcopum

50. — III. *Introducuntur etiam pastores secundi ordinis seu Parochi.* — Quum igitur res, sicut exposuimus, mox constitutæ fuerint, jam inde videre est Episcopum ita præpositum unicuique ecclesiæ solum existisse propriè hujus ecclesiæ *Pastorem*, cæteros autem, cujuscumque ordinis, ad nutum illius in eadem ecclesiâ servientes non tam Pastorum propriè quàm Pastoris cooperatorum ac vicariorum rationem habuisse. Quum autem, labentibus sæculis, episcopi multò pauciores quàm presbyteri facti sint, jam quibusdam presbyteris attribuerunt curam et jurisdictionem ordinariam, — licèt suæ non exclusivam nec diminutivam (1), — in certas quasdam gregis episcopalis partes seu *parœcias* (2): unde ii presbyteri dicti sunt *cu-*

non statim ab initio inductam esse (eo nempe quo suprâ diximus modo), nec etiam tantam esse, quoad Ordinem, quantam inter presbyterum et diaconum « ... Quid enim facit, exceptâ ordinatione, episcopus, quod presbyter » ter non faciat?... » (*Epist.* 146, *ad Evangelium*, n. 1). — Cfr Duguet: *Conférences eccl.*, t. I, Dissert. IV: *Sur le sentiment de S. Jérôme. touchant l'origine et l'institution des évêques*; — Bouix: *Tr. de Episcopo*, t. I, p. 23-30; — etc.

(1) Nonnulli quidem ultra-Gallicani, ex iis nempe qui Papæ denegabant jurisdictionem ordinariam et immediatam in diœcesanos alicujus episcopi (V. suprâ, p. 174), ita et Episcopo talem jurisdictionem denegare voluerunt in parochianos alicujus parochi. Hæc autem doctrina damnata fuit, à facultate Parisiensi, a. 1735 (V. ap. d'Argentré: *Collectio judiciorum*, T. III, p. 210 et ss.).

(2) *Parœcia* primùm designabat ditionem episcopalem, et *diœcesis* ditionem patriarchalem; à sæculo autem IV^o, paulatim *diœcesis* cœpit significare ditionem tantùm episcopalem, et *parœcia* curialem (V. Martigny: *Dictionn. des Antiq. chrét.*, v^o *Paroisse, diocèse*). — Sedes episcopales, temporibus Constantini et Constantii, numero 1800 intra solius Imperii romani fines fuisse æstimantur (Wouters: *Dissertat.*, t. II, p. 131); ac postea, licèt Concilium Sardicense vetuerit « episcopum constitui in ali- » quo pago vel parvâ urbe cui vel unus presbyter sufficit, ... ne episcopi » nomen et auctoritas vilipendatur » (can. vi), S. Dalmatius Theodosium juniorem adversus Nestorium interpellans: « *Sex milliane*, inquit, epis- » coporum audire mavis, an unum hominem?... *Sex milia* autem eos aie- » bam, qui sub metropolitanorum potestate degunt » (Ap. Mansi, t. IV,

rati seu *Parochi*, et haberi cœperunt quasi pastores secundi ordinis (1). — Hoc etiam è jure divino repetere conati sunt olim multi è theologis præsertim Sorbonicis, dicentes nempe, quemadmodum episcopos in personâ duodecim Apostolorum, ita et parochos in personâ LXXII Discipulorum (Luc., X) à Christo institutos esse. Id autem alii communiter negant, nec reverà solidè sustineri posse videtur (2).

51. — III. — *Nunquam tamen Presbyteri nec etiam Parochi facti sunt auctoritatis doctrinalis vel legislativæ in Ecclesiâ plenè participes*; ideòque nunquam potuerunt in conciliis proprio nomine sedere ac sententias ferre, aut haberi è jure divino tanquam fidei iudices; — quidquid, è contrà, asseruerint non pauci sive è prioribus Gallicanis, sive è recentioribus Jansenistis (3). — Etenim 1^o à

p. 1430). Magna tamen erat diœceseon inæqualitas, quum ex unâ parte, è *Breviculo collationis* S. Augustini cum donatistis (1^a die, c. 14), constet in Africâ fuisse sedes episcopales 476 à Catholicis occupatas (præter 300 saltem è factione Donati episcopos); ex alterâ autem, testetur Theodoretus, Cyri in Syriâ episcopus, (*Epist.* 113, ad S. Leonem) se in unâ suâ diœcesi 800 parœcias habere regendas. Magna jtem inæqualitas virorum, siquidem hisce temporibus, quando florent S. Augustinus, Theodoretus, etc., etc., duo episcopi Asiani, in Conciliabulo seu *Latrocinio* Ephesino, per alium subscribunt « eo quòd nesciant litteras » (Mansi, t. VI, p. 929, 931). — Quoad parœcias, autem, controvertitur utrùm ante sæculum IV^{um} habuerint initium; imò, utrùm ante sæculum X^{um} plures in urbibus (Româ et Alexandriâ exceptis) admissæ fuerint. (Cfr Thomassin : *Anc. et nouv. discipline*, t. I, p. 1, l. II, c. XXI; La Luzerne : *Dr. et dev. des Ev.*, etc., p. 149 et ss; Bouix : *Tr. de Parocho*, p. 22 et ss.; etc.)

(1) Circa usum hujus denominationis, quam quidam repellunt, V. *Prælectiones Juris canon.*, ad usum S. Sulpitii, T. I, n. 229.

(2) V. *Prælect. Juris canon.* Semin. S. Sulpitii, T. I, n. 233; — Bouix : *Tr. de Parocho*, p. 43 et ss.; — Etc.

(3) Illa generatim quorundam dispositio ad auctoritatem episcopalem simplicibus presbyteris plus minùsve transferendam, sæpe dicitur apud nos *presbyterianismus*, sensu tamen valde diverso à *presbyterianismo Calvinistarum*, qui, dum omnem auctoritatem ecclesiasticam *presbyteris* at-

priori, neque pars illa jurisdictionis quæ Presbyteris delegari solet ad quædam munia sacra in fideles exercenda, neque etiam jurisdictio illa ordinaria quæ Parochis conceditur in suos parochianos, includunt potestatem ferendi leges propriè dictas et exercendi judicia fori externi. — Atqui concilia ad talia præsertim agenda celebrantur.

tribuunt, id est, *ministris à populo delegatis*, ipsum reverà defendunt *multitudinismum* de quo suprâ (p. 83). Sæpius tamen multò rectiùs dicenda foret *parochismus* (V. D. Bouix : *Tr. de Parocho*, p. 83), quum nempe de presbyteris non quatenùs sacerdotibus sed quatenùs *parochis* agitur. Et hocce reverà sensu errorem illum quasi ex professo docuerunt non pauci è veteribus Gallicanis, inter quos Gerson : « De voce definitivâ, quales eam » habeant (in Conciliis gen.), non est dubium de Episcopis et superioribus » Prælati sicut practicatam sæpiùs invenitur in prioribus Conciliis. Sed » neque videtur ambiguitas esse de minoribus Prælati qui sunt Curati et » Hierarchæ, neque de illis qui ad hunc duplicem Prælatorum ordinem re- » ducuntur, quibus non ex privilegio solo, sed ex statu et ordinario jure » competit animarum cura; quemadmodum sunt multi Abbates, Decani, » Præpositi cum similibus. » (*De Potest. eccl.*, *Consid. XII*; Opp. T. II, p. 250). Quod tamen ex aliis Gersonii locis attenuare nititur Corgne, in op. mox cit., p. 223-239. Cfr autem et alios suprâ indic. p. 85 et 89. (Prætermittimus etiam famosum Lud. d'Aleman Card. Arelatensem qui à suo Basileensi conciliabulo excludebat « eos tantùm qui solius primæ tonsuræ sunt clerici, » in quem V. Jager, t. XIII, p. 420; — Christophe : *Hist. de la Pap. au XV^e s.*, T. I, l. IV; — La Luzerne, op. cit. p. 1135 et ss.)

Richerius vero (de quo suprâ, p. 86) non *parochismum* sed *presbyterianismum* potiùs inducit, eo quòd, falso innixus principio (de quo infrâ), jurisdictionem non à titulo sed ab ordinatione repetit, et tam Presbyteris quàm Episcopis unâ « cum sacerdotio Christi conferri saltem quoad habitum » contendit (*Defensio libelli*, c. II, XIII; cfr ap. D. Puyol, op. cit., T. I, p. 448). — Postea etiam nunc in *presbyterianismum*, nunc in *parochismum* impegerunt non pauci sive ex ultragallicanis, uti Jac. Boileau, La Chambre, sive præsertim è Jansenistis, uti Le Gros, Travers, Maulrot, etc. — Contrà quos scripsere Corgne : *Mémoire dogmat. et histor. touchant les juges de la foi* (1736); *Défense des dr. des Evêques* (1762); — Ladvoat, in suo *Tr. de Conciliis in genere*, q. VI, p. 138-301 (1769); — ac tandem Card. de La Luzerne : *Dr. et dev. respectifs des Ev. et des Prêtres* (ed. Migne, 1844). — Totam cæteroquin illorum errorum historiam V. ap. D. Puyol in op. cit. : *Edmond Richer...*, T. I, p. 439-465.

Ergo non videtur quomodo Presbyteri vel Parochi possent, vi muneris sui, in illis sedere ac iudicare.

Item et consequenter, Presbyteri vel Parochi non possunt docere imperativè sed tantum certis quibusdam ac determinatis modis (1). — Atqui assistentia divina non promissa est collectioni Pastorum, imò nec ipsi Papæ nisi in quantum imperativè docent (V. suprâ p. 161, et infrâ p. 204). Ergo Presbyteri vel Parochi non possunt illam participare, nec proinde haberi è jure divino tanquam fidei iudices.

2º *A posteriori*, — etsi quidam Presbyteri, sive curam animarum habentes, sive non, Episcopos aliquando in conciliis adjuvare aut etiam representare potuerint, — nunquam tamen ad subscriptionem admissi sunt saltem tanquam *defnientes* aut *judicantes*, sed, ad summum, tanquam Episcopi sui testes (2). Et nihilominus illorum conciliorum acta, sive in rebus fidei, sive in rebus disciplinæ, tanquam per se rata ac valida incunctanter habita sunt ab omnibus, — imò et ab ipsis Presbyteris ac Parochis. — Unde assertio nostra *ex infallibili consensu Ecclesie*, ipsorumque etiam quibus adversarii auctoritatem volunt attribuire, probata haberi debet.

Item et similibus argumentis probari posset, contra eosdem adversarios, presbyteros vel parochos non esse *necessarios* Episcopi *consultores* vel *assessores* in gubernatione suæ diocesis (3). — Cfr et Bullam : *Auctorem fidei...* à Pio VI directam contra *Synodum Pistoïensem* (4).

Ergo denique ex omni parte, probata est Thesis.

(1) La Luzerne : *Droits et Dev. des Ev. et des Pr.*, p. 536.

(2) V. hoc fusè probatum ap. Auctores modò indic., Corgne, Advocat ac præsertim La Luzerne op. cit., in totâ Dissert. Vª, p. 475-4425.

(3) V. La Luzerne, ibid., Dissert. VIª, p. 1425-1834. —

(4) Quum enim famosa hæc Synodus, ipso suffragante Episcopo, doctrinam hanc asserere, et in causis etiam fidei multipliciter applicare attentasset (Cfr Picot., a. 1786), ita Bulla prædicta ausus istos condemnat et qualitat : «...IX : — Doctrina quæ statuit reformationem *abusuum circa ecclesiasti-*

§ II. — *De indefectibili Episcoporum unione cum Papâ.*

52. — Ex articulo proximè præcedenti sequitur episcopos — et quidem solos — Apostolorum verè successores esse et eorum privilegia participare tum in docendo tum in regendo Ecclesiam, unâ cum S. Pontifice suo Centro et Capite. Hanc autem divinam œconomiam in Ecclesiâ *indefectibilem* fore non modò evidens Ecclesiæ utilitas sed et expressæ Christi ad Apostolos promissiones demonstrant (V. suprâ p. 185).

Igitur quemadmodum unum semper stabit Ecclesiæ Centrum et Caput, ad quod Fideles in supervenientibus

» *cam disciplinam in Synodis diœcesanis ab Episcopo et Parochis*
 » *æqualiter pendere ac stabiliri debere; ac sine libertate decisionis in-*
 » *debitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcopo-*
 » *rum* : — falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Aërianæ à Calvino innovatæ.

» X : — Item doctrina quæ Parochi aliive Sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur unâ cum Episcopo iudices fidei, et simul innuitur iudicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per Ordinationem accepto : — falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati decisionum iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus » erronea. » (Ap. Denzinger : *Enchiridion...*, p. 391; — vel ap. Bouvier, in Appendice ad. tom. ult.).

Extunc autem, quum Presbyterianismus vel Parochismus caput denuò erigere inciperet, plures statim prodiere contra eos *Instructiones pastorales*, inter quas notatim adiri possunt *Lettre et observations de Mgr l'Evêque de Viviers* (DD. Guibert), ap. *l'Ami de la Religion*, 18 et 20 févr. 1845; — itemque *Mandement de Mgr Affre, arch. de Paris* (ibid., 3 et 5 juin).

Hic etiam observandum recurrit circa presbyteros, servatâ proportionem debitâ, id quod jam circa Fideles observavimus (p. 101 in *notâ*), scilicet, de mente Ecclesiæ esse ut presbyteri quidem suum animum, sua desideria Episcopo convenienter exponant, sed non eo modo unde vis Episcopo indirectè inferri posset, et sic auctoritas ecclesiastica ab iis quibus desuper collata est, reverà transferretur ad inferiores, uti facilè fieret per publicas petitiones, adhesiones vel improbationes. (De quibus V. D. Vincent : *Tr. de Eccl.* n. 313-314). Nec enim illic valent comparationes ex ordine politico desumptæ, propter differentias inter utramque auctoritatem suprâ notatas.

Ecclesiae divisionibus tunc semper respicere possint (suprà, p. 103); — ita huic incommutabili Centro et Capiti semper adjunctum manebit aliquod corpus Pastorum, per quos doctrina et lex multitudini Fidelium quotidie ac tunc intimentur. Unde, quaecumque in Ecclesiam superveniat scissio, quidam certè Pastorum *numerus* in veritate simul ac in unitate cum Papà indefectibiliter perstabit (1).

Non tamen omnes aequè conveniunt utrum iste futurus sit *major* vel *minor* episcoporum pro tempore existentium numerus (2). Verùm circa hanc quæstionem, quæ nullà hactenus ab auctoritate decisa etiamque parùm à theologis agitata est, hæc nobis statuenda videtur

Propositio : *Quovis tempore, major numerus Episcoporum*

(1) V., v. g., Card. Litta : *Lettres sur les Quatre articles*, L. XIX^e et ss.; Card. Villecourt : *La France et le S. Siège*, p. 357, etc.; Card. Manning : *Lettre... seu Hist. du Conc. du Vatican*, p. 141 et ss.

(2) Minorem esse posse numerum supponunt aut supponere videntur Melchior Canus : *De locis th.*, l. V, ap. Migne, *Theol.*, t. I, p. 369, 372; Bened. XIV : *De Syn. dioc.*, l. XII, c. II, n. 3; *ibid.*, t. XXV, p. 1358; etc. — Attamen dubitari potest de quibusdam 1^o utrum loquantur de episcopis *episcopallyter* docentibus, an non; 2^o utrum loquantur de majore minoreve numero *Episcopatus* totius, an tantum *concilii* sive generalis (de quo V. infra), sive etiam particularis (uti, v. g., S. Liguori : *Dissert. de R. Pontif. auctorit.*, in *Tr. de Leg.*, n. 115.)

Majoris è contrà episcoporum numeri indefectibilitatem nobiscum tuerent Muzarelli : *De auctoritate R. Pontif. in Conc. gen.*, t. I, p. 59-61, et cfr *ibid.* passim, præsertim in Proëmio, item et varia ejusdem opuscula, v. g. : *L'Infaillibilité du Pape prouvée par les principes mêmes de l'Eglise gallicane*, § X; *Religion du Philosophe*, III^e p., n. 17, etc. — Hunc citat analyticè et laudat R. P. Schrader : *De Unitate romanâ* (1866), t. II, p. 313. — Similiter et Ballerini : *De Potest. S. Pontif.*, c. II, § 2; ap. Migne *Theol.*, t. III, p. 1294; quem citat etiam et sequitur D. Bouix : *De episcopo*, p. 1^a, s. II, c. III, p. 132; nec non, licèt paulò minus affirmanter : *De Papâ*, s. III, p. III, c. I, t. II, p. 608-615. — Item et, teste D. Bouix, P. Martin, S. J., *ibid.* cit. — Item et Bouvier, quem V. supra cit., n. 48 in not., p. 166. — Huc etiam, ut observat D. Grandclaude : *Les principes de 89 et le Concile*, p. 188, tendere videntur principia Card. Franzelin circa divinam Traditionem, locis infra indic.

tunc in *Ecclesia existentium perstabit in docendâ infallibiliter verâ doctrinâ Christi, unâ cum Papâ et dependenter à Papâ.*

Illud enim suadet tum Scriptura sacra, tum Traditio, tum ratio theologica; siquidem

1^o è *Scripturâ*, Christus idem qui dixerat primùm Petro : *Quodcumque ligaveris, etc.* (Matth., XVI, 19), dixit deinde omnibus collectivè Apostolis : *Quaecumque alligaveritis, etc.* (*ibid.*, XVIII, 18); idem qui dixit Petro : *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua...* (Luc., XXII, 32), dixit etiam Apostolis : *Et Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.....* (Joan., XVI, 16, 17); itemque omnibus simul : *Et ecce Ego vobiscum sum, etc.* (Matth., XXVIII, 20). — Porro istæ repetitiones ad omnes Apostolos collectivè earum promissionum quæ Petro singulariter factæ fuerant, vel nihil significant, vel assistentiæ promissionem important à promissione Petro factâ distinctam et ei superadditam in favorem reliqui collegii apostolici. Promissio autem in favorem cujusdam hominum numeri collectivè facta, superveniente scissione, majorem hujus numeri partem sequitur. — Ergo assistentia hic collegio apostolico ac speciatim, ut videtur, in favorem cæterorum præter Petrum Apostolorum promissa, in casu scissionis majorem eorum numerum sequetur et in verâ fidei prædicatione, unâ cum Petro, stare faciet (1). Ergo etiam..., etc.

(1) Quidam istarum ad Apostolos promissionum vim eludere tentant, dicendo nempe istas factas esse Apostolis cum Petro stantibus, ideoque valere pro iis quidem qui cum Petro stabunt, sicuti certè aliquos stare de se semper continget, non autem impedire quin plures, si libuerit, simul à Petro secedant, hæresim docendo. Talis autem evasio vix differt reapse ab illâ cavillatione quam Gallicani adversus infallibilitatem papalem intorquent, dicendo promissiones Christi spectare ad successorem Petri quamdiu ille successorem Petri se geret, non autem impedire quin successor Petri esse desinat, errorem videlicet definiendo (V. supra n. 41, p. 147, *not.* : « Item etiam... »); itemque Protestantes adversus omnem infallibilitatem retorquent, dicendo promissiones Christi ad Ecclesiam manere quamdiu Ecclesia cum Christo manebit, non autem impedire quin Ecclesia aut saltem major pars ejus à Christo secedat, alienam profitendo doctrinam (V. supra n. 22, p. 54, *Obj.* 2^o). Omnes nimirum hujusmodi subtilitates verba Christi in inanes tautologias ridiculè deducunt, idipsum pro conditione promissionis ponendo quod futurus est ejus effectus.